

**Pline l'ancien, Livre 35, XLII, 150 – XLIV, 153**

Pingunt et uestes in Aegypto, inter pauca mirabili genere, candida uela, postquam attriuere, inlinentes non coloribus, sed colorem sorbentibus medicamentis. Hoc cum fecere, non apparet in uelis, sed in cortinam pigmenti feruentis mersa post momentum extrahuntur picta. Mirumque, cum sit unus in cortina colos, ex illo alius atque alius fit in ueste accipientis medicamenti qualitate mutatus, nec postea ablui potest. Ita cortina, non dubie confusura colores, si pictos acciperet, digerit ex uno pingitque, dum coquit, et adustae eae uestes firmiores usibus fiunt quam si non urerentur.

De pictura satis superque. Contexuisse his et plasticen conueniat. Eiusdem opere terrae fingere ex argilla similitudines Butades Sicyonius figulus primus inuenit Corinthi filiae opera, quae capta amore iuuenis, abeunte illo peregre, umbram ex facie eius ad lucernam in pariete lineis circumscripsit, quibus pater eius inpressa argilla typum fecit et cum ceteris fictilibus induratum igni proposuit, eumque seruatum in Nymphaeo, donec Mummius Corinthum euerterit, tradunt. Sunt qui in Samo primos omnium plasticen inuenisse Rhoecum et Theodorum tradant multo ante Bacchiadas Corintho pulsos, Damaratum uero ex eadem urbe profugum, qui in Etruria Tarquinius regem populi Romani genuit, comitatos fictores Euchira, Diopum, Eugrammum ; ab iis Italiae traditam plasticen. Butadis inuentum est rubricam addere aut ex rubra creta fingere, primusque personas tegularum extremis imbricibus inposuit, quae inter initia prostypa uocauit ; postea idem ectypa fecit. Hinc et fastigia templorum orta. Propter hunc plastae appellati.

Hominis autem imaginem gypso e facie ipsa primus omnium expressit ceraque in eam formam gypsi infusa emendare instituit Lysistratus Sicyonius, frater Lysippi, de quo diximus. Hic et similitudines reddere instituit ; ante eum quam pulcherrimas facere studebant.

**Pline l'ancien, Livre 35, XXXVI, 62-66**

In eum<sup>1</sup> Apollodorus supra scriptus uersum fecit, artem ipsis<sup>2</sup> ablatam Zeuxim ferre secum. Opes quoque tantas adquisiuit, ut in ostentatione earum Olympiae aureis litteris in palliorum tesseris intextum nomen suum ostentaret. Postea donare opera sua instituit, quod nullo pretio satis digno permutari posse diceret, sicuti Alcmenam Agragantinis, Pana Archelao. Fecit et Penelopen, in qua pinxisse mores uidetur, et athletam adeoque in illo sibi placuit, ut uersum subscriberet celebrem ex eo, inuisurum aliquem facilius quam imitaturum. Magnificus est et Iuppiter eius in throno adstantibus diis et Hercules infans dracones II strangulans Alcmena matre coram pauente et Amphitryone. Reprehenditur tamen ceu grandior in capitibus articulisque, alioqui tantus diligentia, ut Agragantinis facturus tabulam, quam in templo Iunonis Lacinae publice dicarent, inspexerit uirgines eorum nudas et quinque elegerit, ut quod in quaque laudatissimum esset pictura redderet. Pinxit et monochromata ex albo. Aequales eius et aemuli fuere Timanthes, Androcydes, Eupompus, Parrhasius. Descendisse hic in certamen cum Zeuxide traditur et, cum ille detulisset uuas pictas tanto successu, ut in scaenam aues aduolarent, ipse detulisse linteum pictum ita ueritate repraesentata, ut Zeuxis alitum iudicio tumens flagitaret tandem remoto linteo ostendi picturam atque intellecto errore concederet palmam ingenuo pudore, quoniam ipse uolucres fefellisset, Parrhasius autem se artificem. Fertur et postea Zeuxis pinxisse puerum uuas ferentem, ad quas cum aduolassent aues, eadem ingenuitate processit iratus operi et dixit : « uuas melius pinxi quam puerum, nam si et hoc consummassem, aues timere debuerant ». Fecit et figlina opera, quae sola in Ambracia relictas sunt, cum inde Musas Fuluius Nobilior Romam transferret. Zeuxidis manu Romae Helena est in Philippi porticibus, et in Concordiae delubro Marsyas religatus.

Notes

1 *Eum* désigne Zeuxis.

2 *Ipsis* renvoie aux peintres qui furent les maîtres de Zeuxis.

### Pline l'ancien, Livre 35, VII, 22 – IX

Dignatio autem praecipua Romae increuit, ut existimo, a M'. Valerio Maximo Messala, qui princeps tabulam pictam proelii, quo Carthaginienses et Hieronem in Sicilia uicerat, proposuit in latere curiae Hostiliae anno ab urbe condita CCCCXC. Fecit hoc idem et L. Scipio tabulamque uictoriae suae Asiaticae in Capitolio posuit, idque aegre tulisse fratrem Africanum tradunt, haut inmerito, quando filius eius illo proelio captus fuerat. Non dissimilem offensionem et Aemiliani subiit L. Hostilius Mancinus, qui primus Carthaginem intruperat, situm eius oppugnationesque depictas proponendo in foro et ipse adsistens populo spectanti singula enarrando, qua comitate proximis comitiis consulatum adeptus est. Habuit et scaena ludis Claudii Pulchri magnam admirationem picturae, cum ad tegularum similitudinem corui decepti imagine aduolarent.

Tabulis autem externis auctoritatem Romae publice fecit primus omnium L. Mummius, cui cognomen Achaici uictoria dedit. Namque cum in praeda uendenda rex Attalus X|VI|<sup>1</sup> emisset tabulam Aristidis, Liberum patrem, pretium miratus suspicatusque aliquid in ea uirtutis, quod ipse nesciret, reuocauit tabulam, Attalo multum querente, et in Cereris delubro posuit, quam primam arbitror picturam externam Romae publicatam. Deinde uideo et in foro positas uolgo. Hinc enim ille Crassi oratoris lepos agentis sub Veteribus ; cum testis compellatus instaret : dic ergo, Crasse, qualem me noris ? talem, inquit, ostendens in tabula inficetissime Gallum exerentem linguam. In foro fuit et illa pastoris senis cum baculo, de qua Teutonorum legatus respondit interrogatus, quantine eum aestimaret, donari sibi nolle talem uiuum uerumque.

Sed praecipuam auctoritatem publice tabulis fecit Caesar dictator Aiace et Media ante Veneris Genetricis aedem dicatis, post eum M. Agrippa, uir rusticitati propior quam deliciis.

#### Note

1 Lire *sescenta milia denariorum*, soit 600 000 deniers.

**Pline l'ancien, Livre 35, I, 2 – II, 5**

(...) primumque dicemus quae restant de pictura, arte quondam nobili — tunc cum expeteretur regibus populisque — et alios nobilitante, quos esset dignata posteris tradere, nunc uero in totum marmoribus pulsa, iam quidem et auro, nec tantum ut parietes toti operiantur, uerum et interrasso marmore uermiculatisque ad effigies rerum et animalium crustis. Non placent iam abaci nec spatia montes in cubiculo dilatantia : coepimus et lapide pingere. Hoc Claudii principatu inuentum, Neronis uero maculas, quae non essent in crustis, inserendo unitatem uariare, ut ouatus esset Numidicus, ut purpura distingueretur Synnadicus, qualiter illos nasci optassent deliciae. Montium haec subsidia deficientium, nec cessat luxuria id agere, ut quam plurimum incendiis perdat.

Imaginum quidem pictura, qua maxime similes in aeuum propagabantur figurae, in totum exoleuit. Aerei ponuntur clipei, argenteae facies, surdo figurarum discrimine ; statuarum capita permutantur, uolgatis iam pridem salibus etiam carminum. Adeo materiam conspici malunt omnes quam se nosci. Et inter haec pinacothecas ueteribus tabulis consuunt alienasque effigies colunt, ipsi honorem non nisi in pretio ducentes, ut frangat heres furisque detrahat laqueus. Itaque nullius effigie uiuente imagines pecuniae, non suas, relinquunt. Iidem palaestras athletarum imaginibus et ceromata sua exornant, Epicuri uultus per cubicula gestant ac circumferunt secum. Natali eius sacrificant, feriasque omni mense uicesima luna custodiunt, quas icadas uocant, ii maxime qui se ne uiuentes quidem nosci uolunt. Ita est profecto : artes desidia perdidit, et quoniam animorum imagines non sunt, negleguntur etiam corporum. Aliter apud maiores in atriis haec erant, quae spectarentur ; non signa externorum artificum nec aera aut marmora : expressi cera uultus singulis disponebantur armariis, ut essent imagines, quae comitarentur gentilicia funera (...).

**Ovide, *L'Art d'aimer* I, 135-170**

Nec te nobilium fugiat certamen equorum :	135
Multa capax populi commoda circus habet.	
Nil opus est digitis, per quos arcana loquaris,	
Nec tibi per nutus accipienda nota est ;	
Proximus a domina, nullo prohibente, sedeto,	
Iunge tuum lateri, qua potes usque, latus.	140
Et bene, quod cogit, si nolis, linea iungi,	
Quod tibi tangenda est lege puella loci.	
Hic tibi quaeratur socii sermonis origo,	
Et moueant primos publica uerba sonos.	
Cuius equi ueniant, facito studiose requiras,	145
Nec mora, quisquis erit, cui fauet illa, faue.	
At cum pompa frequens certantibus ibit ephebis,	
Tu Veneri dominae plaude fauente manu ;	
Vtque fit, in gremium puluis si forte puellae	
Deciderit, digitis excutiendus erit,	150
Et si nullus erit puluis, tamen excute nullum.	
Quaelibet officio causa sit apta tuo.	
Pallia si terra nimium demissa iacebunt,	
Collige et inmunda sedulus effer humo ;	
Protinus, officii pretium, patiente puella	155
Contingent oculis crura uidenda tuis.	
Respice praeterea, post uos quicumque sedebit,	
Ne premat opposito mollia terga genu.	
Parua leuis capiunt animos. Fuit utile multis	
Puluinum facili conposuisse manu ;	160
Profuit et tenui uento mouisse tabellam	
Et caua sub tenerum scamna dedisse pedem.	
Hos aditus circusque nouo praebebit amori	
Sparsaque sollicito tristis harena foro.	
Illa saepe puer Veneris pugnauit harena,	165
Et, qui spectauit uulnera, uulnus habet :	
Dum loquitur tangitque manum poscitque libellum	
Et quaerit, posito pignore, uincat uter,	
Saucius ingemuit telumque uolatile sensit	
Et pars spectati muneris ipse fuit.	170

Ovide, *L'Art d'aimer* I, 671-706

Vim licet appelles, grata est uis ista puellis ;  
Quod iuuat, inuitae saepe dedisse uolunt.  
Quaecumque est Veneris subita uiolata rapina,  
Gaudet et improbitas muneris instar habet ;  
At quae cum posset cogi, non tacta recessit, 675  
Vt simulet uultu gaudia, tristis erit.  
Vim passa est Phoebe, uis est allata sorori ;  
Et gratus raptae raptor uterque fuit.  
Fabula nota quidem, sed non indigna referri  
Scyrias Haemonio iuncta puella uiro. 680  
Iam dea laudatae dederat mala praemia formae  
Colle sub Idaeo uincere digna duas ;  
Iam nurus ad Priamum diuerso uenerat orbe,  
Graiaque in Iliacis moenibus uxor erat ;  
Iurabant omnes in laesi uerba mariti ; 685  
Nam dolor unius publica causa fuit ;  
(Turpe ! nisi hoc matris precibus tribuisset) Achilles  
Veste uirum longa dissimulatus erat.  
Quid facis, Aeacide ? non sunt tua munera lanae ;  
Tu titulos alia Palladis arte petas. 690  
Quid tibi cum calathis ? clipeo manus apta ferendo est.  
Pensa quid in dextra, qua cadet Hector, habes ?  
Reice succinctos operoso stamine fusos ;  
Quassanda est ista Pelias hasta manu.  
Forte erat in thalamo uirgo regalis eodem ; 695  
Haec illum stupro conperit esse uirum.  
Viribus illa quidem uicta est (ita credere oportet),  
Sed uoluit uinci uiribus illa tamen.  
Saepe « mane » dixit, cum iam properaret Achilles ;  
Fortia nam posito sumpserat arma colo. 700  
Vis ubi nunc illa est ? quid blanda uoce moraris  
Auctorem stupri, Deidamia, tui ?  
Scilicet ut pudor est quaedam coepisse priorem,  
Sic alio gratum est incipiente pati.  
A ! nimia est iuueni propriae fiducia formae, 705  
Expectat siquis dum prior illa roget.

Ovide, *L'Art d'aimer* I, 191-226

Auspiciis animisque patris, puer<sup>1</sup>, arma mouebis,  
Et uinces animis auspiciisque patris.  
Tale rudimentum tanto sub nomine debes,  
Nunc iuuenum princeps, deinde future senum ;  
Cum tibi sint fratres, fratres ulciscere laesos, 195  
Cumque pater tibi sit, iura tuere patris.  
Induit arma tibi genitor patriaeque tuusque,  
Hostis ab inuito regna parente rapit.  
Tu pia tela feres, sceleratas ille sagittas ;  
Stabit pro signis iusque piumque tuis. 200  
Vincuntur causa Parthi, uincantur et armis.  
Eoas Latio dux meus addat opes.  
Marsque pater Caesarque pater, date numen eunti !  
Nam deus e uobis alter es, alter eris.  
Auguror, en, uinces uotiuoque carmina reddam, 205  
Et magno nobis ore sonandus eris.  
Consistes aciemque meis hortabere uerbis.  
O desint animis ne mea uerba tuis !  
Tergaque Parthorum Romanaque pectora dicam  
Telaque ab auerso quae iacit hostis equo. 210  
Qui fugis ut uincas, quid uicto, Parthe, relinquis ?  
Parthe, malum iam nunc Mars tuus omen habet.  
Ergo erit illa dies, qua tu, pulcherrime rerum,  
Quattuor in niueis aureus ibis equis.  
Ibunt ante duces onerati colla catenis, 215  
Ne possint tuti, qua prius, esse fuga ;  
Spectabunt laeti iuuenes mixtaeque puellae,  
Diffundetque animos omnibus ista dies,  
Atque aliqua ex illis cum regum nomina quaeret,  
Quae loca, qui montis, quaeue ferantur aquae, 220  
Omnia responde, nec tantum siqua rogabit,  
Et quae nescieris, ut bene nota refer.  
Hic est Euphrates, praecinctus harundine frontem ;  
Cui coma dependet caerulea, Tigris erit.  
Hos facito Armenios, haec est Danaeia Persis ; 225  
Urbs in Achaemeniis uallibus ista fuit.

Note

1 *puer* : C. César, fils adoptif d'Auguste.

**Ovide, *L'Art d'aimer* I, 351-386**

Sed prius ancillam captandae nosse puellae  
Cura sit ; accessus molliet illa tuos ;  
Proxima consiliis dominae sit ut illa uideto,  
Neue parum tacitis conscia fida iocis.  
Hanc tu pollicitis, hanc tu corrumpe rogando ; 355  
Quod petis, ex facili, si uolet illa, feres.  
Illa leget tempus (medici quoque tempora seruant),  
Quo facilis dominae mens sit et apta capi.  
Mens erit apta capi tum, cum laetissima rerum  
Vt seges in pingui luxuriabit humo ; 360  
Pectora dum gaudent nec sunt adstricta dolore,  
Ipsa patent ; blanda tum subit arte Venus.  
Tum, cum tristis erat, defensa est Ilios armis ;  
Militibus grauidum laeta recepit equum.  
Tum quoque temptanda est, cum paelice laesa dolebit ; 365  
Tum facies opera, ne sit inulta, tua.  
Hanc matutinos pectens ancilla capillos  
Incitet et uelo remigis addat opem  
Et secum tenui suspirans murmure dicat  
« Vt, puto, non poteris ipsa referre uicem. » 370  
Tum de te narret, tum persuadentia uerba  
Addat et insano iuret amore mori.  
Sed propera, ne uela cadant auraeque residant ;  
Vt fragilis glacies, interit ira mora.  
Quaeris an hanc ipsam prosit uiolare ministram ? 375  
Talibus admissis alea grandis inest.  
Haec a concubitu fit sedula, tardior illa ;  
Haec dominae munus te parat, illa sibi.  
Causa in euentu est ; licet hic indulgeat ausis,  
Consilium tamen est abstinuisse meum. 380  
Non ego per praeceps et acuta cacumina uadam,  
Nec iuuenum quisquam me duce captus erit.  
Si tamen illa tibi, dum dat recipitque tabellas,  
Corpore, non tantum sedulitate placet,  
Fac domina potiare prius, comes illa sequatur. 385  
Non tibi ab ancilla est incipienda Venus.



**Ovide, *L'Art d'aimer* I, 525-560**

Gnosis in ignotis amens errabat harenis, 525  
Qua brevis aequoreis Dia feritur aquis,  
Vtque erat e somno tunica uelata recincta,  
Nuda pedem, croceas inreligata comas,  
Thesea crudelem surdas clamabat ad undas  
Indigno teneras imbre rigante genas. 530  
Clamabat flebatque simul ; sed utrumque decebat ;  
Non facta est lacrimis turpior illa suis.  
Iamque iterum tundens mollissima pectora palmis  
« Perfidus ille abiit ! quid mihi fiet ? » ait.  
« Quid mihi fiet ? » ait. Sonuerunt cymbala toto 535  
Litore et adtonita tympana pulsa manu.  
Excidit illa metu rupitque nouissima uerba ;  
Nullus in exanimi corpore sanguis erat.  
Ecce Mimallonides sparsis in terga capillis,  
Ecce leues Satyri, praeuia turba dei, 540  
Ebrius ecce senex. Pando Silenus asello  
Vix sedet et pressas continet arte iubas ;  
Dum sequitur Bacchas, Bacchae fugiuntque petuntque,  
Quadrupedem ferula dum malus urget eques,  
In caput aurito cecidit delapsus asello. 545  
Clamarunt Satyri « surge age, surge, pater » !  
Iam deus in curru, quem summum texerat uuis,  
Tigribus adiunctis aurea lora dabat.  
Et color et Theseus et uox abiire puellae  
Terque fugam petiit terque retenta metu est ; 550  
Horruit, ut sterilis agitatur quas uentus aristas,  
Vt leuis in madida canna palude tremit.  
Cui deus « en, adsum tibi cura fidelior, inquit ;  
Pone metum. Bacchi, Gnosias, uxor eris !  
Munus habe caelum ; caelo spectabere sidus ; 555  
Saepe reget dubiam Cressa Corona ratem. »  
Dixit et e curru, ne tigres illa timeret,  
Desilit (imposito cessit harena pede)  
Implicitamque sinu (neque enim pugnare ualebat)  
Abstulit ; in facili est omnia posse deo. 560

### Caton compare les vices d'aujourd'hui et les vertus des ancêtres

Nolite existumare<sup>24</sup> maiores nostros armis rem publicam ex parua magnam fecisse ! Si ita esset, multo pulcherrumam<sup>25</sup> eam nos haberemus ; quippe sociorum atque ciuium, praeterea armorum atque equorum maior copia nobis quam illis est. Sed alia fuere, quae illos magnos fecere, quae nobis nulla sunt: domi industria, foris iustum imperium, animus in consulundo liber, neque delicto neque lubidini<sup>26</sup> obnoxius. Pro his nos habemus luxuriam atque auaritiam, publice egestatem, priuatim opulentiam. Laudamus diuitias, sequimur inertiam. Inter bonos et malos discrimen nullum, omnia uirtutis praemia ambitio possidet. Neque mirum : ubi uos separatim sibi quisque consilium capitis, ubi domi uoluptatibus, hic pecuniae aut gratiae seruitis, eo fit ut impetus fiat in uacuum rem publicam. Sed ego haec omitto. Coniurauere nobilissimi ciues patriam incendere<sup>27</sup>.

Salluste, *La conjuration de Catilina*, 52

---

<sup>24</sup> *existumare* : *existimare*

<sup>25</sup> *multo pulcherrumam (pulcherrimam)* : “bien plus puissante que jamais”

<sup>26</sup> *lubidini* : *libidini*

<sup>27</sup> L’infinitif *incendere* est ici complément de *coniurare*.

## Un message de l'au-delà

*Après la mort de César, Sextus Pompée, le fils de Pompée, s'empara de la Sicile et mena une longue guerre contre les triumvirs. C'est au cours de cette guerre que Sextus Pompée captura et fit égorger le marin Gabienus.*

Plena praeterea uita est his uaticiniis, sed non conferenda, cum saepius falsa sint, sicut ingenti exemplo docebimus. Bello Siculo Gabienus Caesaris<sup>28</sup> classium fortissimus, captus a Sexto Pompeio, iussu eius incisa ceruice et uix cohaerente, iacuit in litore toto die. Deinde, cum aduerserauisset, gemitu precibusque congregata multitudine petiit uti Pompeius ad se ueniret aut aliquem ex arcanis mitteret; se enim ab inferis remissum habere quae nuntiaret. Misit plures Pompeius ex amicis, quibus Gabienus dixit inferis dis placere Pompei causas et partes pias ; proinde euentum<sup>29</sup> futurum quem optaret : hoc se nuntiare iussum ; argumentum fore ueritatis quod<sup>30</sup> peractis mandatis protinus expiraturus esset. Idque ita euenit. Post sepulturam quoque uisorum exempla sunt, nisi quod<sup>31</sup> naturae opera, non prodigia, consecramur.

Pline l'Ancien, *Histoire naturelle*, VII, 53

---

<sup>28</sup> Le terme “*Caesar*” désigne Octave, l'un des triumvirs

<sup>29</sup> *euentum* : “l'issue (des événements)”, c'est-à-dire “l'avenir”

<sup>30</sup> *quod* : “le fait que”

<sup>31</sup> *nisi quod* : “avec cette réserve que”

## Le jeune et timide Horace rencontre Mécène pour la première fois

Nunc ad me redeo libertino patre natum,  
quem rodunt omnes libertino patre natum,  
nunc, quia sim tibi, Maecenas, conuictor, at olim,  
quod mihi pareret legio Romana tribuno.  
(...) Felicem dicere non hoc  
me possim, casu quod te sortitus amicum ;  
nulla etenim mihi te fors obtulit : optimus olim  
Vergilius, post hunc Varius dixere<sup>17</sup> quid essem.  
Vt ueni coram, singultim<sup>18</sup> pauca locutus  
(infans<sup>19</sup> namque pudor prohibebat plura profari),  
non ego me claro natum patre, non ego circum  
me Satureiano<sup>20</sup> uectari rura caballo,  
sed quod eram narro; respondes, ut tuus est mos,  
pauca; abeo, et reuocas nono post mense iubesque  
esse in amicorum numero. Magnum hoc ego duco,  
quod placui tibi qui turpi secernis honestum<sup>21</sup>  
non patre praeclaro, sed uita et pectore puro.

Horace, *Sat.* I, 6, v. 45-48 ; 52-64

---

<sup>17</sup> *dixere* : *dixerunt*

<sup>18</sup> *singultim* : "par saccades"

<sup>19</sup> *infans* : "qui ôte la parole"

<sup>20</sup> *Satureiano* : synonyme de Tarentino (de Tarente)

<sup>21</sup> *turpi*, *honestum* : ces mots sont masculins

## Dans les Enfers, Énée retrouve son père Anchise

Isque<sup>18</sup> ubi tendentem aduersum per gramina uidit  
Aenean, alacris palmas utrasque tetendit,  
effusaeque genis lacrimae, et uox excidit ore:  
« Venisti tandem, tuaque exspectata parenti  
uicit iter durum pietas ? Datur ora tueri,  
nate, tua et notas audire et reddere uoces ?  
Sic equidem ducebam animo rebarque futurum<sup>19</sup>,  
tempora dinumerans nec me mea cura<sup>20</sup> fefellit.  
Quas ego te terras et quanta per aequora uectum  
accipio ! Quantis iactatum, nate, periclis !  
Quam<sup>21</sup> metui, ne quid Libyae tibi regna nocerent! »  
Ille autem : « Tua me, genitor, tua tristis imago,  
saepius occurrens, haec limina tendere adegit;  
stant sale Tyrrheno classes. Da<sup>22</sup> iungere dextram,  
da, genitor, teque amplexu<sup>23</sup> ne subtrahe nostro ! »  
Sic memorans largo fletu simul ora rigabat.

Virgile, *Énéide*, VI, 684-699

---

<sup>18</sup> *is* : Anchise

<sup>19</sup> *futurum (esse)*

<sup>20</sup> *mea cura* : « le soin (que je mettais à compter les instants) », « mon calcul »

<sup>21</sup> *quam* : adverbe exclamatif

<sup>22</sup> *da (mihi)*

<sup>23</sup> *amplexu* : datif singulier

**Bien mieux que les monuments, le poète donne l'immortalité à son sujet**

Quod non Taenariis<sup>22</sup> domus est mihi fulta columnis,  
Nec camera auratas inter eburna trabes ;  
Nec mea Phaeacias aequant pomaria siluas,  
Non operosa rigat Marcus<sup>23</sup> antra liquor :  
At Musae comites, et carmina cara legenti,  
Nec defessa choris Calliopea<sup>24</sup> meis.  
Fortunata<sup>25</sup>, meo si qua est celebrata libello !  
Carmina erunt formae tot monumenta tuae.  
Nam neque pyramidum sumptus ad sidera ducti,  
Nec Iouis Elei caelum imitata domus<sup>26</sup>,  
Nec Mausolei diues fortuna sepulcri  
Mortis ab extrema condicione uacant.  
Aut illis flamma aut imber subducet honores,  
Annorum aut tacito pondere uicta ruent<sup>27</sup>.  
At non ingenio quaesitum nomen ab aeuo  
Excidet<sup>28</sup> : ingenio stat sine morte decus.

Properce, *Elégie* 3, 2, à Cynthie

---

<sup>22</sup> *Taenarius, a, um* : de Ténare, de Laconie, de Sparte

<sup>23</sup> *Marcus liquor* : l'eau de Marcus

<sup>24</sup> *Calliope* : Muse de la poésie et de l'éloquence

<sup>25</sup> *Fortunata, si qua...* : "heureuse, celle qui"

<sup>26</sup> *domus* : *templum*

<sup>27</sup> Construire : *aut ruent ictu annorum, uicta pondere <suo>*

<sup>28</sup> *non ab aeuo excidet* : (littéralement) ne tombera pas hors du temps, c'est-à-dire "se perpétuera dans le temps"

## Cicéron, tué pour avoir écrit contre Antoine

À l'arrivée des triumvirs, Cicéron quitta Rome pour se soustraire à la vengeance d'Antoine. Ne pouvant fuir sur mer, il décida finalement de rester en Italie au risque de tomber entre les mains de ses ennemis.

M. Cicero sub aduentum triumuirorum urbe cesserat, pro certo habens, id quod erat, non magis Antonio eripi se quam Caesari<sup>9</sup> Cassium et Brutum<sup>10</sup> posse. Primo in Tusculanum<sup>11</sup> fugerat ; inde transuersis itineribus in Formianum<sup>12</sup>, ut ab Caieta nauem conscensurus, proficiscitur. Unde aliquotiens in altum proeuctum cum modo uenti aduersi rettulissent, modo ipse iactationem nauis, caeco uolente fluctu, pati non posset, taedium tandem eum et fugae et uitae cepit ; regressusque ad superiorem uillam, quae paulo plus mille passibus a mari abest : « Moriar, inquit, in patria saepe seruata. » Satis constat seruos fortiter fideliterque paratos fuisse ad dimicandum, ipsum deponi lecticam et quietos pati quod sors iniqua cogeret iussisse. Prominenti ex lectica praebentique immotam ceruicem caput praecisum est. Nec satis id stolidae crudelitati militum fuit ; manus quoque, scripsisse in Antonium exprobrantes<sup>13</sup>, praeciderunt.

Tite-Live, *Ab urbe condita*, CXX

---

<sup>9</sup> *Caesari* : neveu de César, adopté par le dictateur et appelé dès lors C. Julius Caesar Octavianus, le futur empereur Auguste

<sup>10</sup> *Cassium et Brutum* : ils furent pros crits comme meurtriers de César mais ils furent bientôt à la tête d'une armée. Vaincus à Philippi par Octave et Antoine, ils se tuèrent.

<sup>11</sup> *In Tusculanum*, sous-entendu *praedium*. Dans sa campagne de Tusculum, au sud-est de Rome.

<sup>12</sup> *Formianum* : Formies était tout près de *Caieta* (aujourd'hui Gaète, au nord-ouest de Naples).

<sup>13</sup> *Superiorem uillam* : sa villa d'en haut. Il en possédait une autre sur le bord de la mer.

## Faut-il connaître son propre avenir ?

*En examinant l'exemple des triumvirs (Crassus, Pompée, César), Cicéron considère qu'il vaut mieux ne pas savoir à l'avance ce qui arrivera.*

Marcone Crasso putas utile fuisse tum, cum maximis opibus fortunisque florebat, scire sibi interfecto Publio filio exercituque deleto trans Euphratem cum ignominia et dedecore esse pereundum ? An Cn. Pompeium censes tribus suis consulatibus, tribus triumphis, maximarum rerum gloria laetaturum fuisse, si sciret se in solitudine Aegyptiorum trucidatum iri amisso exercitu, post mortem uero ea consecutura, quae sine lacrimis non possumus dicere ? Quid<sup>6</sup> uero Caesarem putamus, si diuinasset<sup>7</sup> fore ut in eo senatu, quem maiore ex parte ipse cooptasset<sup>8</sup>, in curia Pompeia, ante ipsius Pompei simulacrum, tot centurionibus suis inspectantibus, a nobilissimis ciuibus, partim etiam a se omnibus rebus ornatis, trucidatus ita iaceret, ut ad eius corpus non modo amicorum, sed ne seruorum quidem quisquam accederet, quo cruciatu animi uitam acturum fuisse ? Certe igitur ignoratio futurorum malorum utilior est quam scientia.

Cicéron, *De Diuinatione*, II, 9

---

6 “*Quid*” annonce la question qui ne sera exprimée qu’à la fin de la phrase par “*quo cruciatu animi*”. On peut négliger “*quid*” dans la traduction et construire : “*Caesarem uero... quo cruciatu animi uitam acturum fuisse putamus*”.

7 *diuinasset* : *diuinaisset*

8 *cooptasset* : *cooptauisset* ; (*cooptare* : “recruter par un choix”)



## Éloge de la musique

*Dans son traité d'éducation oratoire (De institutione oratoria), Quintilien veut démontrer l'importance de la musique pour l'orateur.*

Nam quis ignorat musicen<sup>1</sup>, tantum iam illis antiquis temporibus non studii<sup>2</sup> modo, uerum etiam uenerationis habuisse, ut idem musici et uates et sapientes iudicarentur, Orpheus et Linus<sup>3</sup> ? quorum utrumque dis genitum, alterum uero, quia rudes quoque atque agrestes animos admiratione mulceret, non feras modo sed saxa etiam siluasque duxisse posteritatis memoriae traditum est. Itaque et Timagenes<sup>4</sup> auctor est omnium in litteris studiorum antiquissimam musicen exstitisse, et testimonio sunt clarissimi poetae, apud quos inter regalia conuiuia laudes heroum ac deorum ad citharam canebantur. (...) Atqui claros nomine sapientiae uiros nemo dubitauerit studiosos musices fuisse, cum Pythagoras atque eum secuti opinionem uulgauerint mundum ipsum ratione<sup>5</sup> esse compositum, quam postea sit lyra imitata, nec illa modo contenti dissimilium concordia, quam uocant harmonian<sup>6</sup>, sonum quoque his motibus dederint.

Quintilien, *Institution oratoire*, I, 10, 9-11

---

<sup>1</sup> *musicen* : accusatif singulier de *musice*, es f = *musica*, ae f

<sup>2</sup> *studium* : vogue

<sup>3</sup> Orphée et Linus : personnages légendaires de la Grèce, à la fois musiciens, poètes et devins

<sup>4</sup> Timagène : historien grec de l'époque d'Auguste

<sup>5</sup> *ratione* : structure rationnelle ; loi de la raison

<sup>6</sup> *harmonian* : transcription latine d'un accusatif singulier grec

## Horreur des châtements sur les écoliers

*Dans les Confessions, saint Augustin se souvient de son horreur pour l'école et les études lorsqu'il était enfant. Ce qu'il détestait le plus, c'était les châtements et les coups de ses maîtres.*

Inde in scholam datus sum, ut discerem litteras, in quibus quid utilitatis esset ignorabam miser. Et tamen, si segnis in discendo essem, uapulabam. Laudabatur enim hoc a maioribus, et multi<sup>7</sup> ante nos uitam istam agentes praestruxerant aerumnosas uias. (...) Non enim deerat, domine<sup>8</sup>, memoria uel ingenium, quae nos habere uoluisti pro illa aetate satis, sed delectabat ludere, et uindicabatur in nos ab eis qui talia agebant. Sed maiorum nugae negotia uocabantur, puerorum autem talia cum sint, puniuntur a maioribus, et nemo miseratur pueros uel illos uel utrosque. Nisi uero adprobat quisquam bonus rerum arbiter uapulasse me, quia ludebam pila puer et eo ludo inpediebar, quominus celeriter discerem litteras, quibus maior deformius luderem. Aut aliud faciebat idem ipse, a quo uapulabam ?

Augustin, *Confessions*, livre I, 9, 14-15.

---

<sup>7</sup> *multi* : « beaucoup d'enfants »

<sup>8</sup> *domine* : saint Augustin s'adresse au dieu chrétien dans les *Confessions*.

« Malheurs de l'amant (et du mari) qui a instruit sa maîtresse »

Ipse miser docui, quo posset ludere pacto

[1,6,10] Custodes : heu ! heu ! nunc premor arte mea.

Fingere tunc didicit causas, ut sola cubaret,

cardine tunc tacito uertere posse fores ;

tunc sucos herbasque dedi, quis<sup>1</sup> liuor abiret,

Quem facit inpresso mutua dente Venus.

15 At tu, fallacis coniunx incaute puellae,

me quoque seruato, peccet ut illa nihil ;

neu iuuenes celebret multo sermone, caueto,

neue cubet laxo pectus aperta sinu,

neu te decipiat nutu, digitoque liquorem

[1,6,20] ne trahat et mensae ducat in orbe notas.

Exibit quam<sup>2</sup> saepe, time, seu uisere dicet

Sacra Bonae maribus non adeunda Deae.

At mihi si credas, illam sequar unus ad aras :

tunc mihi non oculis sit timuisse meis.

**Tibulle, I, 6, 9-24**

---

<sup>1</sup> *quis* = *quibus*

<sup>2</sup> *quam* ici : « tout à fait »

**« Querelle entre frères au sujet de l'éducation d'un enfant »**

*Monologue de Micion ouvrant la pièce de Térence, dans lequel il décrit comment il entend élever le fils que lui a donné en adoption son frère.*

[50] Ille<sup>1</sup> ut item contra me habeat facio sedulo :

do, praetermitto, non necesse habeo omnia

pro meo iure agere : postremo, alii clanculum

patres quae faciunt, quae fert adulescentia,

ea ne me celet consuefecit filium.

55 Nam qui mentiri aut fallere insuerit patrem

aut audebit, tanto magis audebit ceteros.

pudore et liberalitate liberos

retinere satius esse credo quam metu.

Haec fratri mecum non conueniunt neque placent

[60] uenit ad me saepe clamans : « Quid agis, Micio?

Cur perdis adulescentem nobis ? cur amat ?

cur potat ? Cur tu his rebus sumptum suggeris

uestitu nimio indulges ? Nimium ineptus es. »

Nimium ipse est durus praeter aequomque et bonum,

65 et errat longe mea quidem sententia,

qui imperium credat grauius esse, aut stabilius,

ui quod fit, quam illud quod amicitia adiungitur.

**Térence, *Adelphes*, v. 50-67**

---

<sup>1</sup> Il s'agit du fils de son frère, que Micion élève puisqu'il l'a adopté.

## « Comment apprendre l'agriculture ? »

*Au début de son traité De re rustica, composé dans les années 50-60 ap. J.-C. et consacré à la gestion d'un domaine agricole sous tous ses aspects, Columelle expose quelques principes à Publius Silvinus, son dédicataire.*

Hos<sup>1</sup> igitur, Publi Siluine, prius quam cum agricolatione contrahas, aduocato in consilium ; nec tamen sic mente dispositus, uelut summam totius rei sententiis eorum consecuturus : quippe eiusmodi scriptorum monumenta magis instruunt quam faciunt artificem. Vsus et experientia dominantur in artibus, neque est ulla disciplina, in qua non peccando discatur. Nam ubi quid perperam administratum cessit improspere, uitatur quod fefellerat, illuminatque rectam uiam docentis magisterium. Quare nostra praecepta non consummare scientiam, sed adiuuare promittunt. Nec statim quisquam compos agricolationis erit his perlectis rationibus, nisi et obire eas uoluerit, et per facultates potuerit. Ideoque haec uelut adminicula studiosis promittimus, non profutura per se sola, sed cum aliis. Ac ne ista quidem praesidia, ut diximus, non adsiduus labor et experientia uillici, non facultates ac uoluntas impendendi tantum pollent, quantum uel una praesentia domini.

**Columelle, *De re rustica*, 1**

---

<sup>1</sup> Columelle vient de citer de nombreux auteurs qui ont contribué à la science de l'agriculture.

« Ouverture des *Fastes* »

[1,1] Tempora cum causis Latium digesta per annum

lapsaque sub terras orta que signa canam.

Excipe pacato, Caesar Germanice<sup>1</sup>, uoltu

hoc opus et timidae derige nauis iter,

5 officioque, leuem non auersatus honorem,

en tibi deuoto numine dexter ades.

Sacra recognosces annalibus eruta priscis

et quo sit merito quaeque notata dies.

Inuenies illic et festa domestica uobis;

10 saepe tibi pater est, saepe legendus auus,

quaeque ferunt illi, pictos signantia fastos,

tu quoque cum Druso praemia fratre feres.

Caesaris arma canant alii ; nos Caesaris aras

et quoscumque sacris addidit ille dies.

15 Adnue conanti per laudes ire tuorum

deque meo pavidos excute corde metus.

Da mihi te placidum, dederis in carmina uires :

ingenium uoltu statque caditque tuo.

**Ovide, *Fastes*, 1-18**

---

<sup>1</sup> Fils de Drusus et d'Antonia Minor, et frère aîné du futur empereur Claude. Après la mort de son père et sur ordre d'Auguste, il est adopté en 4 apr. J.-C. par son oncle Tibère. En 10 av. J.-C., il reçoit le surnom « Germanicus » pour ses victoires contre les Germains.

« Rien ne retourne au néant »

Haud igitur penitus pereunt quaecumque uidentur,  
quando alit ex alio reficit natura nec ullam  
rem gigni patitur nisi morte adiuta aliena.

265 Nunc age, res quoniam docui non posse creari  
de nihilo neque item genitas ad nil reuocari,  
ne qua forte tamen coeptes diffidere dictis,  
quod nequeunt oculis rerum primordia cerni,  
accipe praeterea quae corpora tute necesse est  
270 confiteare esse in rebus nec posse uideri.

Principio uenti uis uerberat incita pontum  
ingentisque ruit nauis et nubila differt,  
interdum rapido percurrens turbine campos  
arboribus magnis sternit montisque supremos  
275 siluifragis uexat flabris: ita perfurit acri  
cum fremitu saeuitque minaci murmure uentus.

Sunt igitur uenti nimirum corpora caeca,  
quae mare, quae terras, quae denique nubila caeli  
uerrunt ac subito uexantia turbine raptant,

Lucrèce, I, 262-279

## Critiques de Sénèque contre la bibliomanie

Studiorum quoque, quae liberalissima impensa est, tamdiu rationem habet quamdiu modum. Quo innumerabiles libros et bibliothecas, quarum dominus uix tota uita indices<sup>1</sup> perlegit ? Onerat discentem turba, non instruit, multoque satius est paucis te auctoribus tradere quam errare per multos. Quadraginta milia librorum Alexandriae arserunt<sup>2</sup>. Pulcherrimum regiae opulentiae monumentum alius laudauerit, sicut et Liuius<sup>3</sup>, qui elegantiae regum curaeque egregium id opus ait fuisse. Non fuit elegantia illud aut cura, sed studiosa<sup>4</sup> luxuria, immo ne studiosa quidem, quoniam non in studium, sed in spectaculum comparauerant, sicut plerisque ignaris etiam puerilium litterarum<sup>5</sup> libri non studiorum instrumenta, sed cenationum ornamenta sunt. Paretur itaque librorum quantum satis sit, nihil in apparatus. (...) Vitiosum est ubique quod nimium est.

Sénèque, *De tranquillitate animi*, IX, 4-7

---

<sup>1</sup> *indices* : le titre du livre (*index, titulus*) était souvent écrit sur un petit morceau de parchemin attaché au centre du rouleau (*uolumen*), de manière à être facilement consulté

<sup>2</sup> *quadraginta milia librorum Alexandriae arserunt* : pendant la guerre d'Alexandrie (47 av. J.-C.), César soutint une lutte acharnée au cours de laquelle une partie de la bibliothèque fut consumée par un incendie

<sup>3</sup> *Liuius* : il s'agit sans doute d'une référence à un livre perdu de l'œuvre de Tite-Live

<sup>4</sup> *studiosa* : « littéraire »

<sup>5</sup> *puerilium litterarum* : l'instruction primaire



**« Les exigences d'un traité de rhétorique »**

*Quintilien, dans l'introduction à son Institutio Oratoria, justifie son entreprise, explique ses objectifs, dont la formation de l'orateur idéal.*

Sit igitur orator uir talis qualis uere sapiens appellari possit, nec moribus modo perfectus (nam id mea quidem opinione, quamquam sunt qui dissentiant, satis non est), sed etiam scientia et omni facultate dicendi ; qualis fortasse nemo adhuc fuerit, sed non ideo minus nobis ad summa tendendum est : quod fecerunt plerique ueterum, qui, etsi nondum quemquam sapientem repertum putabant, praecepta tamen sapientiae tradiderunt. Nam est certe aliquid consummata eloquentia neque ad eam peruenire natura humani ingenii prohibet. Quod si non contingat, altius tamen ibunt qui ad summa nitentur quam qui, praesumpta desperatione quo uelint euadendi, protinus circa ima substiterint. Quo magis impetranda erit uenia si ne minora quidem illa, uerum operi quod instituimus necessaria, praeteribo.

**Quintilien, I, *prohemium*, 18-21**

## « Des qualités de l'agriculteur »

*Columelle commence ainsi son traité, composé dans les années 50-60 ap. J.-C., consacré à la gestion d'un domaine agricole sous tous ses aspects.*

Qui studium agricolationi dederit, antiquissima sciat haec sibi aduocanda : prudentiam rei, facultatem impendendi, uoluntatem agendi. Nam is demum cultissimum rus habebit, ut ait Tremellius<sup>1</sup>, qui et colere sciet et poterit et uolet. Neque enim scire aut uelle cuiquam satis fuerit sine sumptibus, quos exigunt opera ; nec rursus faciendi aut impendendi uoluntas profuerit sine arte, quia caput est in omni negotio nosse quid agendum sit, maximeque in agricultura, in qua uoluntas facultasque, citra scientiam, saepe magnam dominis afferunt iacturam, cum imprudenter facta opera frustrantur impensas. Itaque diligens pater familias, cui cordi est ex agri cultu certam sequi rationem rei familiaris augendae, maxime curabit, ut aetatis suae prudentissimos agricolas de quaque re consulat, et commentarios antiquorum sedulo scrutetur, atque aestimet quid eorum quisque senserit, quid praeceperit.

**Columelle, *De re rustica*, 1**

---

<sup>1</sup> Cité par Varron et Columelle, arboriculteur romain du 1<sup>er</sup> s. av. J.-C. qui a écrit sur l'agriculture mais dont nous n'avons pas gardé de textes.

### « Composition d'un traité de rhétorique »

*Quintilien, dans l'introduction à son Institutio Oratoria, annonce le plan de l'ouvrage et explique ses objectifs, dont la formation de l'orateur idéal.*

Nam liber primus ea quae sunt ante officium rhetoris continebit. Secundo prima apud rhetorem elementa et quae de ipsa rhetorices substantia quaeruntur tractabimus. Quinque deinceps inuentioni (nam huic et dispositio subiungitur), quattuor elocutioni, in cuius partem memoria ac pronuntiatio ueniunt, dabuntur. Vnus accedet in quo nobis orator ipse informandus est, ubi qui mores eius, quae in suscipiendis discendis agendis causis ratio, quod eloquentiae genus, quis agendi debeat esse finis, quae post finem studia, quantum nostra ualebit infirmitas disseremus. His omnibus admiscebitur, ut quisque locus postulabit, docendi ratio quae non eorum modo scientia, quibus solis quidam nomen « artis » dederunt, studiosos instruat et, ut sic dixerim, ius ipsum rhetorices interpretetur, sed alere facundiam, uires augere eloquentiae possit.

**Quintilien, I, *prohemium*, 21-23**

« Ouverture du chant IV des *Géorgiques* »

Protinus aerii<sup>1</sup> mellis caelestia dona  
exsequar : hanc etiam, Maecenas, adspice partem.  
Admiranda tibi leuium spectacula rerum  
magnanimosque duces totiusque ordine gentis  
mores et studia et populos et proelia dicam.                   5  
In tenui labor ; at tenuis non gloria, si quem  
numina laeua<sup>2</sup> sinunt auditque uocatus Apollo.  
Principio sedes apibus statioque petenda,  
quo neque sit uentis aditus — nam pabula uenti  
ferre domum prohibent — neque oues haedique petulci                   10  
floribus insultent aut errans bucua campo  
decutiat rorem et surgentes atterat herbas.  
Absint et picti squalentia terga lacerti  
pinguibus a stabulis meropesque aliaeque uolucres  
et manibus Procne<sup>3</sup> pectus signata cruentis ;                   15  
omnia nam late uastant ipsasque uolantes  
ore ferunt dulcem nidis immitibus escam.

**Virgile, *Géorgiques*, IV, 1-17**

---

<sup>1</sup> Référence à l'opinion d'Aristote selon laquelle le miel serait une rosée céleste, recueillie par les abeilles.

<sup>2</sup> *Laeua* : mot interprété parfois dans le sens augural (c'est-à-dire favorables), était entendu au sens d'hostile, ennemi, par Aulu-Gelle.

<sup>3</sup> Procne avait servi à son mari Térée les membres de son fils Itys ; elle fut changée en hirondelle. Ovide explique ainsi la tache sanglante que certaines hirondelles portent sur la poitrine.

**« Comment se consoler de la mort ? »**

Nullum maius solacium est mortis quam ipsa mortalitas ; nullum autem omnium istorum quae extrinsecus terrent quam quod innumerabilia pericula in ipso sinu sunt. Quid enim dementius quam ad tonitrua succidere et sub terram correpere fulminum metu ? Quid stultius quam timere nutationem terrae aut subitos montium lapsus et irruptiones maris extra litus eieci, cum mors ubique praesto sit, et undique occurrat, nihilque sit tam exiguum quod non in perniciem generis humani satis ualeat ? Adeo non debent nos ista confundere, tamquam plus in se mali habeant quam uulgaris mors, ut contra, cum sit necessarium e uita exire et aliquando emittere animam, maiore perire ratione iuuet. Necesse est mori ubicumque, quandoque ; stet licet ista humus et se teneat suis finibus nec ulla iactetur iniuria, supra me quandoque erit.

**Sénèque, *QN*, 6, 2, 6-7**

**« Anciens et nouveaux traités de rhétorique »**

*Quintilien, dans l'introduction à son Institutio Oratoria, justifie son entreprise et explique ses objectifs, notamment par comparaison avec les anciens traités de rhétorique.*

Nam plerumque nudae illae artes, nimiae subtilitatis adfectatione, frangunt atque concidunt quidquid est in oratione generosius, et omnem sucum ingenii bibunt et ossa detegunt, quae, ut esse, et adstringi neruis suis debent, sic corpore operienda sunt. Ideoque nos non particulam illam, sicuti plerique, sed quidquid utile ad instituendum oratorem putabamus in hos duodecim libros contulimus, breuiter omnia demonstraturi ; nam si quantum de quaque re dici potest persequamur, finis operis non reperietur. Illud tamen in primis testandum est, nihil praecepta atque artes ualere nisi adiuuante natura. Quapropter ei, cui deerit ingenium, non magis haec scripta sint quam de agrorum cultu sterilibus terris. Sunt et alia ingenita cuique adiumenta – uox, latus patiens laboris, ualetudo, constantia, decor – quae si modica optigerunt, possunt ratione ampliari.

**Quintilien, I, *prohemium*, 24-27**

## Il faut cueillir le jour présent

*Horace écrit une épître à son ami, le poète Tibulle, pour lui donner courage.*

Albi<sup>9</sup>, nostrorum sermonum<sup>10</sup> candide iudex,  
quid nunc te dicam facere in regione Pedana<sup>11</sup> ?  
Scribere quod Cassi Parmensis<sup>12</sup> opuscula uincat,  
an tacitum siluas inter reptare salubris<sup>13</sup>,  
curantem quicquid dignum sapiente bonoque est ?  
Non tu corpus eras sine pectore; di tibi formam,  
di tibi diuitias dederunt artemque fruendi.  
Quid uoeat dulci nutricula maius<sup>14</sup> alumno,  
qui sapere et fari possit quae sentiat, et cui  
gratia<sup>15</sup>, fama, ualetudo contingat abunde,  
et mundus uictus non deficiente crumina<sup>16</sup> ?  
Inter spem curamque, timores inter et iras  
omnem crede diem tibi diluxisse supremum;  
grata superueniet quae non sperabitur hora.  
Me pinguem et nitidum bene curata cute uises,  
cum ridere<sup>17</sup> uoles, Epicuri de grege porcum.

Horace, *Épître*, I, 4

---

<sup>9</sup> Albi : il s'agit du poète Tibulle (Albius Tibullus), grand ami d'Horace

<sup>10</sup> *Sermonum* : les Satires

<sup>11</sup> Pedum, entre Tibur et Preneste, avait été une cité importante

<sup>12</sup> Cassius de Parme, auteur d'épigrammes et d'élégies

<sup>13</sup> *salubris* : *salubres*

<sup>14</sup> *maius* : de plus que les biens qui vont être énumérés

<sup>15</sup> *gratia* : la faveur des grands (Tibulle était le protégé de Messalla)

<sup>16</sup> *crumina* : la bourse attachée au cou par une courroie et portée en bandoulière

<sup>17</sup> *ridere* + accusatif : "rire de quelqu'un"

## Leçon de mythologie

Atque ea nimirum quaecumque Acherunte profundo  
prodita sunt esse, in uita sunt omnia nobis.  
Nec miser inpendens magnum timet aere saxum  
Tantalus<sup>1</sup>, ut famast<sup>2</sup>, cassa formidine torpens ;  
sed magis in uita diuom<sup>3</sup> metus urget inanis  
mortalis casumque timent quem cuique ferat fors.  
Nec Tityon uolucres ineunt Acherunte iacentem,  
nec quod sub magno scrutentur pectore quicquam  
perpetuam aetatem possunt reperire profecto :  
quamlibet immani proiectu corporis exstet,  
qui non sola nouem dispessis iugera membris  
optineat, sed qui terrai<sup>4</sup> totius orbem,  
non tamen aeternum poterit perferre dolorem,  
nec praebere cibum proprio de corpore semper.  
Sed Tityos nobis hic est, in amore iacentem  
quem uolucres lacerant atque exest anxius angor,  
aut alia quauis scindunt cuppedine<sup>5</sup> curae.  
Sisyphus in uita quoque nobis ante oculos est,  
qui petere a populo fasces saeuasque secures  
imbibit et semper uictus tristisque recedit.

LUCRECE, *De la nature*, III, 978-997.

---

<sup>1</sup> Dans la version du mythe que Lucrèce rapporte ici, Tantale est condamné, aux Enfers, à être perpétuellement menacé par un énorme rocher en équilibre au-dessus de sa tête.

<sup>2</sup> *Famast* = *fama est*.

<sup>3</sup> *Diuom* = *deum*.

<sup>4</sup> *Terrai* = *terrae*.

<sup>5</sup> *Cuppedine* = *cupidine*.



## Comment les Étrusques apprirent l'haruspicine.

Ortum uideamus haruspicinae ; sic facillume quid habeat auctoritatis iudicabimus. Tages quidam dicitur in agro Tarquiniensi<sup>6</sup>, cum terra araretur et sulcus altius esset impressus, exstitisse repente et eum adfatus esse qui arabat. Is autem Tages, ut in libris est Etruscorum, puerili specie dicitur uisus, sed senili fuisse prudentia. Eius adspectu cum obstipuisset bubulcus clamoremque maiorem cum admiratione edidisset, concursum esse factum, totamque breui tempore in eum locum Etruriam conuenisse ; tum illum plura locutum multis audientibus, qui omnia uerba eius exceperint litterisque mandarint ; omnem autem orationem fuisse eam qua haruspicinae disciplina contineretur ; eam postea creuisse rebus nouis cognoscendis et ad eadem illa principia referendis. Haec accepimus ab ipsis, haec scripta conseruant, hunc fontem habent disciplinae.

CICERON, *De diuinatione*, I, 23.

---

<sup>6</sup> De Tarquines (auj. Tarquinia), une des plus grandes cités d'Étrurie.

« Le vide existe ! »

330 Nec tamen undique corporea stipata<sup>1</sup> tenentur

omnia natura ; namque est in rebus inane<sup>2</sup>.

Quod tibi cognosse<sup>3</sup> in multis erit utile rebus

nec sinet errantem dubitare et quaerere semper

de summa rerum et nostris diffidere dictis.

Quapropter locus est intactus inane uacansque.

335 Quod si non esset, nulla ratione moueri

res possent ; namque officium quod corporis exstat,

– officere atque obstare – id in omni tempore adesset

omnibus ; haud igitur quicquam procedere posset,

principium quoniam cedendi nulla daret res.

340 At nunc per maria ac terras sublimaque caeli

multa modis multis uaria ratione moueri

cernimus ante oculos, quae, si non esset inane,

non tam sollicito motu priuata carerent

quam genita omnino nulla ratione fuissent,

345 undique materies quoniam stipata quiesset<sup>4</sup>.

**Lucrece, I, 330-345**

---

<sup>1</sup> *Stipatus* : pressé, dense, compact

<sup>2</sup> *Inane* : le vide

<sup>3</sup> *cognosse* = *cognouisse*

<sup>4</sup> *Quiesset* = *quieuisset*

## Leçon de vie

*Le fait que les grands hommes du passé sont tous morts doit habituer l'homme à sa mortalité.*

« Scipiadas<sup>4</sup>, belli fulmen, Carthaginis horror,  
ossa dedit terrae proinde ac famul infimus esset.  
Adde repertores doctrinarum atque leporum,  
adde Heliconiadum comites ; quorum unus Homerus  
sceptra potitus eadem aliis sopitu' quietest<sup>5</sup>.  
Denique Democritum post quam matura uetustas  
admonuit memores motus languescere mentis,  
sponte sua leto caput obuius optulit ipse.  
Ipse Epicurus obit decurso lumine uitae,  
qui genus humanum ingenio superauit, et omnis  
restinxit, stellas exortus ut aetherius sol.  
Tu uero dubitabis et indignabere obire ?  
Mortua cui uita est prope iam uiuo atque uidenti,  
qui somno partem maiorem conteris aeui,  
et uiligans stertis, nec somnia cernere cessas  
sollicitamque geris cassa formidine mentem,  
nec reperire potes tibi quid sit saepe mali, cum  
ebrius urgeris multis miser undique curis  
atque animi incerto fluitans errore uagaris. »

LUCRECE, *De la nature*, III, 1034-1052.

---

<sup>4</sup> *Scipiadas, ae, m.* = Scipion.

<sup>5</sup> *Sopitu' quietest* = *sopitus quiete est*.

## La fourberie d'un professeur

L'anecdote a lieu en 396 av. J.-C. lors du siège de Faléries par les Romains (sous la conduite de Camille).

Mos erat Faliscis<sup>1</sup> eodem magistro liberorum et comite uti, simulque plures pueri, quod hodie quoque in Graecia manet, unius curae demandabantur. Principum<sup>2</sup> liberos, sicut fere fit, qui scientia uidebatur praecellere erudiebat. Is cum in pace instituisset pueros ante urbem lusus exercendique causa producere, nihil eo more per belli tempus<sup>3</sup> intermisso, diu modo breuioribus modo longioribus spatiis trahendo eos a porta, lusu sermonibusque uariatis, longius solito ubi res dedit progressus, inter stationes eos hostium castraque inde Romana in praetorium ad Camillum perduxit. Ibi scelesto facinori scelestiorem sermonem addit, Falerios se in manus Romanis tradidisse, quando eos pueros quorum parentes capita ibi rerum sint in potestatem dediderit. Quae ubi Camillus audiuit, « non ad similem, inquit, tui nec populum nec imperatorem scelestus ipse cum scelesto munere uenisti ! ».

TITE-LIVE, V, 27.

---

<sup>1</sup> *Falisci, orum*, m.pl. : les Falisques ou habitants de Faléries et de son territoire.

<sup>2</sup> *Principes* (*um*, m.pl.) désigne ici les aristocrates de la cité.

<sup>3</sup> Le siège de la ville dure depuis de nombreuses années.

## Les éclipses solaires

Atque eius modi quiddam etiam bello illo maximo quod Athenienses et Lacedaemonii summa inter se contentione gesserunt, Pericles ille et auctoritate et eloquentia et consilio princeps ciuitatis suae, cum obscurato sole tenebrae factae essent repente, Atheniensiumque animos summus timor occupauisset, docuisse ciuis suos dicitur, id quod ipse ab Anaxagora cuius auditor fuerat acceperat, certo illud tempore fieri et necessario, cum tota se luna sub orbem solis subiecisset ; itaque etsi non omni intermenstruo, tamen id fieri non posse nisi intermenstruo tempore. Quod cum disputando rationibusque docuisset, populum liberauit metu ; erat enim tum haec noua et ignota ratio solem lunae oppositu solere deficere, quod Thaletem Milesium primum uidisse dicunt. Id autem postea ne nostrum quidem Ennium fugit ; qui ut scribit, anno quinquagesimo et trecentesimo fere post Romam conditam

Nonis Iunis soli luna obstitit et nox.

CICERON, *La République*, I, 25.

**« Tout ce qui suivra est inspiré de faits réels »**

Quid actum sit in caelo ante diem tertium idus Octobris<sup>1</sup>, Asinio Marcello, Acilio Auiola consulibus anno nouo, initio saeculi felicissimi, uolo memoriae tradere. Nihil nec offensae nec gratiae dabitur. Haec ita uera si quis quaesiuerit unde sciam, primum, si noluero, non respondebo. Quis coactus est ? Ego scio me liberum factum, ex quo suum diem obiit ille, qui uerum prouerbium fecerat, « Aut regem aut fatuum nasci oportere »<sup>2</sup>. Si libuerit respondere, dicam quod mihi in buccam uenerit. Quis unquam ab historico iuratores exegit? Tamen si necesse fuerit auctorem producere, quaerito ab eo qui Drusillam<sup>3</sup> euntem in caelum uidit ; idem Claudium uidisse se dicet iter facientem « non passibus aequis »<sup>4</sup>. Velit nolit, necesse est illi omnia uidere, quae in caelo aguntur:

**Sénèque, *Apocoloquintose*, 1**

---

<sup>1</sup> Date de la mort de Claude

<sup>2</sup> Diction grec passé en latin.

<sup>3</sup> Julia Drusilla, sœur de Caligula, que ce prince voulait épouser. Après sa mort, il lui fit rendre les honneurs divins. Il y eut, pour justifier cette apothéose, un certain Livius Geminius, sénateur qui attesta sous serment qu'il avait vu Drusilla monter au ciel. Il reçut en récompense 250 000 deniers.

<sup>4</sup> Parodie de Virgile. Dans l'*Énéide* (II, 724), il s'agit d'Iule, qui presse le pas pour pouvoir suivre son père.

## Le poète et la nature

Me uero primum dulces ante omnia Musae,  
quarum sacra fero ingenti percussus amore,  
accipiant caelique uias et sidera monstrent,  
defectus solis uarios lunaeque labores ;  
unde tremor terris, qua ui maria alta tumescant      5  
obicibus ruptis rursusque in se ipsa residant,  
quid tantum Oceano properent se tingere soles  
hiberni, uel quae tardis mora noctibus obstet.  
Sin has ne possim naturae accedere partis  
frigidus obstiterit circum praecordia sanguis,      10  
rura mihi et rigui placeant in uallibus amnes,  
flumina amem siluasque inglorius. O ubi campi  
Spercheosque et uirginibus bacchata Lacaenis  
Taygeta ! O qui me gelidis conuallibus Haemi  
sistat, et ingenti ramorum protegat umbra !      15  
Felix qui potuit rerum cognoscere causas  
atque metus omnis et inexorabile fatum  
subiecit pedibus strepitumque Acherontis auari !

VIRGILE, *Géorgiques*, II, 474-500

## L'apprentissage de l'art oratoire

*Ainsi commence ce traité de rhétorique rédigé par un auteur inconnu à la fin de l'époque républicaine.*

Etsi negotiis familiaribus inpediti uix satis otium studio suppeditare possumus et id ipsum, quod datur otii, libentius in philosophia consumere consueuimus, tamen tua nos, Gai Herenni, uoluntas commouit ut de ratione dicendi conscriberemus, ne aut tua causa noluisse aut fugisse nos laborem putares. Et eo studiosius hoc negotium suscepimus quod te non sine causa uelle cognoscere rhetoricam intellegebamus : non enim in se parum fructus habet copia dicendi et commoditas orationis, si recta intellegentia et definita animi moderatione gubernetur. Quas ob res illa quae Graeci scriptores inanis adrogantiae causa sibi adsumpserunt reliquimus. Nam illi, ne parum multa scisse uiderentur, ea conquisierunt quae nihil adtinebant, ut ars difficilior cognitu putaretur, nos autem ea quae uidebantur ad rationem dicendi pertinere sumpsimus. Non enim spe quaestus aut gloria commoti uenimus ad scribendum, quemadmodum ceteri, sed ut industria nostra tuae morem geramus uoluntati.

*Rhétorique à Hérennius, I, 1.*



**« C'est l'ignorance qui engendre la peur »**

Nobis autem ignorantibus uerum omnia<sup>1</sup> terribiliora sunt, utique quorum metum raritas auget : leuius accidunt familiaria, at ex insolito formido maior est. Quare autem quicquam nobis insolitum est ? Quia naturam oculis, non ratione, comprehendimus nec cogitamus quid illa facere possit, sed tantum quid fecerit. Damus itaque huius negligentiae poenas tamquam nouis territi, cum illa non sint noua sed insolita. Quid ergo ? Non religionem incutit mentibus, et quidem publice, siue deficere sol uisus est, siue luna, cuius obscuratio frequentior, aut parte sui aut tota delituit ? Longeque magis illa, actae in transuersum faces, et caeli magna pars ardens, et crinita sidera, et plures solis orbis, et stellae per diem uisae, subitque transcursus ignium multam post se lucem trahentium. Nihil horum sine timore miramur ; et cum timendi sit causa nescire, non est tanti scire, ne timeas<sup>2</sup> ?

**Sénèque, *QN*, 6,3,2 – 6,3,4**

---

<sup>1</sup> Sénèque vient d'évoquer diverses catastrophes.

<sup>2</sup> *non est tanti scire, ne timeas* : « est-ce que le fait de savoir coûterait si cher, pour ne plus avoir peur ? »

« **Invocation au Nil et célébration d'Osiris** »

*Dans ce poème consacré à la gloire et à l'action militaire de M. Valerius Messalla Corvinus, Tibulle retrace un voyage en Asie qui se clôt sur l'Égypte, pays que le destinataire a visité et adoré. Ayant caractérisé l'Égypte par le Nil, le poète consacre quelques vers au Dieu-fleuve, vénéré à l'égal d'Osiris, que Tibulle célèbre ensuite.*

Nile pater, quanam possim te dicere causa

Aut quibus in terris occuluisse caput?

25 Te propter nullos tellus tua postulat imbres,

Arida nec pluuiio supplicat herba Ioui.

Te canit atque suum pubes miratur Osirim<sup>6</sup>

Barbara, Memphiten plangere docta bouem<sup>7</sup>.

Primus aratra manu sollerti fecit Osiris

30 Et teneram ferro sollicitauit humum,

Primus inexpertae conmisit semina terrae

Pomaque non notis legit ab arboribus.

Hic docuit teneram palis adiungere uitem,

Hic uiridem dura caedere falce comam;

35 Illi iucundos primum matura sapores

Expressa incultis uua dedit pedibus.

Ille liquor docuit uoces inflectere cantu,

Mouit et ad certos nescia membra modos,

Bacchus et agricolae magno confecta labore

40 Pectora tristitiae dissoluenda dedit.

**Tibulle, *Élégies*, I, 7, 23-40**

---

<sup>6</sup> Osiris : dieu de l'agriculture et de la vigne pour les Égyptiens, identifié avec Bacchus.

<sup>7</sup> *Memphiten bouem* : le bœuf de Memphis, c'est-à-dire le bœuf d'Apis, qui portait en lui, selon les croyances des Égyptiens, l'âme d'Osiris. Ce détail semble un souvenir de Callimaque.

**« De l'élegie et de la satire »**

Elegia quoque Graecos prouocamus, cuius mihi tersus atque elegans maxime uidetur auctor Tibullus. Sunt qui Propertium malint. Ouidius utroque lasciuior, sicut durior Gallus. Saturam quidem tota nostra est, in qua primus insignem laudem adeptus Lucilius quosdam ita deditos sibi adhuc habet amatores ut eum non eiusdem modo operis auctoribus sed omnibus poetis praeferre non dubitent. Ego quantum ab illis, tantum ab Horatio dissentio, qui Lucilium « fluere lutulentum »<sup>8</sup> et esse aliquid quod tollere possis putat. Nam et eruditio in eo mira et libertas atque inde acerbitas et abunde salis. Multum est tersior ac purus magis Horatius et, nisi labor eius amore, praecipuus. Multum et uerae gloriae quamuis uno libro Persius meruit. sunt clari hodieque et qui olim nominabuntur.

**Quintilien, 10, 1, 93-94**

---

<sup>8</sup> Citation approximative de *Sat.* 1, 4, 11 *cum flueret lutulentus erat quod tollere uelles.*

## « À propos des talents cachés »

*Vitruve, dans la préface au livre III de son traité De architectura, constate que la nature n'a pas permis que les pensées et facultés de chacun fussent exposées au grand jour ; c'est pourquoi on n'apprécie en général pas à leur juste valeur les connaissances nécessaires à la pratique des arts. Par conséquent les artistes sont inégaux devant le souvenir qu'ils laissent à la postérité.*

Delphicus Apollo Socratem omnium sapientissimum Pythiae responsis est professus. Is autem memoratur prudenter doctissimeque dixisse, oportuisse hominum pectora fenestrata<sup>1</sup> et aperta esse, uti non occultos haberent sensus sed patentis ad considerandum<sup>2</sup>. Vtinam uero rerum natura, sententiam eius secuta, explicata et apparentia ea<sup>3</sup> constituisset ! Si enim ita fuisset, non solum laudes aut uitia animorum ad manum aspicerentur, sed etiam disciplinarum scientiae, sub oculorum consideratione subiectae, non incertis iudiciis<sup>4</sup> probarentur, sed et doctis et scientibus auctoritas<sup>5</sup> egregia et stabilis adderetur. Igitur quoniam haec non ita sed uti natura rerum uoluit sunt constituta, non efficitur ut possint homines, obscuratis sub pectoribus ingeniis, scientias artificiorum penitus latentes, quemadmodum sint, iudicare.

**Vitruve, *De architectura*, III, praefatio**

---

<sup>1</sup> Image rare, dont on ignore la source, mais qui sous-tend une idée alors répandue, selon laquelle la pensée, la sagesse, la beauté morale auraient dû être accessibles à la vue.

<sup>2</sup> *Oportuisse... considerandum* : développe le sens de *dixisse*.

<sup>3</sup>-Construire : *natura... secuta* d'une part, *explicata et apparentia ea* d'autre part.

<sup>4</sup> Idée que la connaissance humaine, contrairement à la connaissance divine, immédiate, est toujours opaque, car médiatisée.

<sup>5</sup> *Auctoritas* évoque le prestige lié à la compétence.